



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

II. Refellitur sententia hæreticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

C A P V T II.

Refellitur sententia hæreticorum.



VANTVM ad PRIMVM, Lutherus in libro de Conciiliis & Ecclesia, in vltima parte libri proponit has septem notas; Primo, veram, & incorruptā prædicationem Euangelij. II. Legitimā administratiōnem Baptismi. III. Legitimum usum Eucharistie. IV. Legitimum usum clauium. V. Legitimam electionem Ministrorū qui doceant, & Sacra menta ministrent. VI. Orationem publicam, & psalmodiam, & catechismum, sed lingua, quæ intelligatur ab omnibus. VII. Mysterium crucis, id est, tribulationes intus & extra, ita ut intus sit mœstitia, pusillanimitas, terrores, foris, paupertas, cōtemptus, & ut habeantur hominibus hæretici, cacodæmones, catharmata.

NOTANDVM verò est, Lutherum valde cauisse, ne ullam notam reciperet earum quæ sunt in Symbolo Constantiopolitano, cùm tamen omnia vetera Concilia per eas notassent, maximè per Apostolicam Ecclesiam sed discerni vellet ab omnibus sectis. PORRO ceteri solent duas tantum proponeant, quæ complectuntur primas quinq; notas Lutheri, id est, prædicationem synceram verbi Dei, & syncerum usum Sacramentorum; & ex his duabus quælibet secta probat apud se esse veram Ecclesiam. Ita docet Confessio Augustana, art. 7. & in Apologia eiusdem. item Brentius in Confessione VVittenbergensi, cap. de Ecclesia. & Ioannes Caluinus in Institut. lib. 4. cap. I. §. 9. 10. & 11. Centuriatores Cent. I. lib. I. cap. 4. col. 173. & 174. & Cent. I. lib. 2. cap. 4. col. 379. 380. & 381. his duabus addunt alias duas, quæ possunt reduci ad quintam & septimam Lutheri, id est, constantiam in confessione fidei, scilicet perseverantiam; & obedientiam erga Ministros verbi, quantum tenus verbum ipsum administrant.

HAE NOTAe non sunt ullo modo sufficiētes; nam in primis non declarant, quæ sit vera Ecclesia secundum hæreticos, nisi probabiliter; non enim hinc scire possumus, quæ sint electi, vel iusti, & potius discimus, ubi lateat Ecclesia, quam quæ sit; præterea, neque hoc sufficienter declarant, quod de singulis facile probari potest.

Ac p.

Ac primum de prima, tribus rationibus. PRIMVM ENIM, notæ debent esse propriæ, non communes. si enim velim designare tibi certum hominē, quem nunquam vidisti, ut mox atq; eum videris, discernas ab aliis, non debeo dicere, est quidam qui habet duos oculos, duas manus, &c. nam hæc sunt communia omnibus; neque etiam debeo eum designare per notas, quæ licet sint ei propriæ secundum rem, tamen non sunt propriæ opinione aliorum, cùm multi sibi illas vèdicate soleant; sic enim nunquam ille, qui queritur, inueniretur.

Iam verò syncera prædicatio veritatis est nota communissima ab omnibus sectis, saltem opinione ipsarum; nam vel debet esse prædicatio pura ab omni errore, vel solùm ab essentialibus, & fundamentalibus. Si detur primum, ex hac ipsa nota colligemus, apud nullos Lutheranorum esse Ecclesiam; nam ipsi farentur suas Ecclesias non carere natus. Lutherus libro de Ecclesia clare dicit, verbum Dei esse notā, licet alias magis, alias minus purè prædicetur; & Caluinus idem fatetur lib. 4. Institut. cap. i §. 12. Si secundum, iam erit nota communis multis sectis; certè Lutherani, & Zwingiani non dissentient de fundamento præcipuo fidei, ut de Trinitate, & Incarnatione, immò etiam Pelagiani veram Ecclesiam habuissent, qui in primariis articulis, antequā Nestorianos peperissent, non dissentiebant: vnde etiam Celestinus apud Augustinum lib. 2. de peccato originali, cap. 22. hac ratione conabatur ostendere se nō esse extra Ecclesiam: & tamen Lutherani, & Caluinistæ nullos magis execrantur, quam Pelagianos. & nos ideo potissimum ponunt extra Ecclesiam, quia Pelagianos putant.

Præterea hoc secundo modo, etiam si re ipsa aliquibus nō conueniat hæc nota, vt Anabaptistis, tamen omnibus conuenit opinione sua, quæ enim secta vñquam fuit, quæ non diceret se habere synceram prædicationem veritatis? certè Augustinus libro contra epistolam fundamenti, cap. 4. dicit, Catholicam quidem Ecclesiam multis notis facile cognosci, sed hæreticos nihil habere, nisi veritatis pollicitationem, id est, quod apud se sit vera, & syncera prædicatio.

SECUND O, notæ debent esse notiores ea re, cuius sunt notæ, alioqui enim non sunt notæ, sed ignotæ. Iam aduersarij non volunt solùm externam prædicationē verbi esse no-

ram Ecclesiæ, sed prædicationem, & receptionem. Ibi enim dicunt esse veram Ecclesiam, vbi prædicatur, auditur, & creditur verbū. At quis nosse potest, vbi verè credatur verbum præterea etiam de externa prædicatione. sine dubio notus est, quæ sit vera Ecclesia, quam quæ sit vera prædicatio verbi nam id ab Ecclesia discimus, vt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, & omnes veteres docent.

IRENAEVS lib. 3. cap. 4. Quid enim, inquit, & si de aliquo modica quæstione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret antiquissimas recurrere Ecclesiæ, & ab eis sumere de praesenti quæstione, quod certum, & reliquidum est? TERTULLIANVS libro de præscript. Quid, inquit, prædicauerint apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hic perscribam aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesiæ, quas ipsi apostoli considerunt. si hac ita sunt, constat proinde omnem Corinthiam, quæ cum illis Ecclesiæ Apostolicis, & matricibus originalibus fidei conspiret, Veritati deputandam. reliquam verò omnem de mendacio præjudicandam.

Idem ratione ostenditur; nam vera prædicatio, est prædicationio, & interpretatio veræ Scripturæ diuinæ; quæ sit autem vera Scriptura, & quis eius verus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ, vt Augustinus docet libro contra epist. fundamenti, c. 5. & libro de utilitate credendi, c. 14. & ipse quoq; Brentius in Confessione VVirtutibus, cap. de Scriptura, qui cōsiderat Ecclesiam habere ius testificandi de vera Scriptura, & etiā interpretandi veram Scripturam; & Caluinus lib. 4. cap. 1 §. 5. vult Ecclesiam esse fidem custodem verbi Dei, & Philippus in Locis, cap. de Ecclesia, requirit testimonium veræ Ecclesiæ ad dirimendas lites. At prius debet esse notus custos Thesauri, quam Thesaurus; & Doctor, quam doctrina, cùm à Doctore petatur doctrina, non cōtra; ergo potius Ecclesia est nota veræ prædicationis, quam vera prædicatio sit nota veræ Ecclesiæ.

Note. TERTIO, veræ notæ sunt inseparabiles à vera Ecclesia, sed Ecclesiæ Corinthiorum, & Galatarū, ad quas scribebat Paulus, veræ Ecclesiæ erat, & tamen ibi non erat aliquando sincera prædicatio verbi, vt ex Apostolo cognosci potest, qui dicit se scribere Ecclesiæ Dei, quæ sunt Corinthi, vel in Galatia, 1. Cor. 1. & Gal. 1. & tamen 1. Cor. 15. arguuntur Corinthij, quod

quod docerent, non esse futuram resurrectionem, & Galatæ per totam ferè epistolam reprehenduntur, quod docerent, seruandam esse legem Mosis cum Euangelio.

Sed DICES, quomodo erant istæ veræ Ecclesiæ, cùm hæresim docerent? RESPONDEO, aliud esse errare, & paratum esse ad discendum, & cùm didiceris, ad obediendum; aliud nolle discere, & cùm audieris veritatem, nolle acquiescere; neutrum horum esse potest in Ecclesia vniuersali, in Ecclesia autem particulari esse potest illud primum, in neutra autem illud secundum, sed solùm in Synagogis Satanæ, & Ecclesiis malignantium. RVR SVM, esse potest pura doctrina ab omni errore in falsa Ecclesia; nam schismatici puri, vt quondam Luciferiani & Donatistæ, initio integrum habent doctrinam, & tamen sunt extra Ecclesiam; si dicant nō habere integrum doctrinam, quia doctrina vera docet manendum in veræ Ecclesiæ unitate: contrà, nam tunc petetur principium, cùm in ipsa nota ponatur esse in vera Ecclesia. Præterea schismatici credunt oportere esse in vera Ecclesia, & obedere vero capiti, licet non faciant; & proinde non errarent in fide, sed deficiunt in caritate.

At OBIICIVNT pro hac nota, Brentius, Philippus, & Caluinus quædam loca Scripturæ. Ioan. 10. Oves meæ vocem meam audient: Ergo ibi est Ecclesia, vbi auditur verbum Dei. Item ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro in Verbo Vite. Ecclesia mundatur verbo, ergo vbicunque est verbum mundans, ibi est Ecclesia. Ita Philippus in Apologia. At Caluinus lib. 4. cap. 1. §. 9. contentus est illo Matth. 18. Vbi sunt duo vel tres, &c.

BRENTIUS in Confessione, capite de Ecclesia, profert illud Ioan. 10. Illos dixit Deos, ad quos sermo Des factus est. Et illud 15. cap. Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Illa enim est Ecclesia, quæ est munda coram Deo. Et illud Rom. I. Euangelium virtus Des est insolutum omni credenti. Addit CHRYSOSTOMVS homil. 49. in Matt. Qui ergo vult cognoscere, quæ sit Vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Et AVGVSTINVM epist. 166. In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam, &c. Item libro de unitate Ecclesiæ, cap. 2. Questio inter nos versatur, Sibi sit Ecclesia;

quid ergo facturi sumus, in verbis nostris eam quaesituri, at
in verbis capitum sui? puto quod potius in illius verbis ea qua-
rere debeamus, qui Veritas est, & optimè nouit corpus suum.
Et cap. 3. Non audiamus, hac dico, hac dicas, sed auditamus, hac
dicit Dominus. Et infra: Nolo hominis documentis, sed diu-
nis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.

R E S P O N D E O. P R I M U S locus non docet ubi sit Ecclesia,
sed docet, qui sint electi, nimirum qui corde perseverant
audiunt, & retinent verbum, ut exponit Augustinus; cùm au-
tem non possit sciri, qui corde audiant, non potest hæc esse
~~visibilis nota Ecclesiae, sed est nota vnicuique, ut saltem con-~~
~~iecturaliter cognoscatur suam electionem.~~

S E C U N D U S locus nihil probat; nam illa mundatio
inuisibilis, nec Paulus ibi vult docere, quæ sit, vel ubi sit
Ecclesia, sed quid boni Deus contulerit Ecclesiae.

T E R T I U S, non demonstrat ubi sit Ecclesia, sed ubi sit
Christus. Vbi enim est vera Ecclesia, ibi est Christus; pre-
reia si congregari in nomine Christi sit nota Ecclesiae, certè
non erit congregari quomodo cumq; in nomine Christi; sic
enim omnes heres, & schismata congregantur in nomine
Christi: sed erit congregari ab illis, qui funguntur Christi
auctoritate, quales sunt Episcopi legitimè ordinati, & succe-
dentes aliis & aliis usque ad Apostolos, quos Christus primo
reliquit loco suo, & sic ista nota coincidit cum nostris; de
quibus postea.

Q U A R T U S locus nihil probat. Primo, quia ibi dicuntur
Dij soli Principes, quibus Deus aliquid commisit; id enim est
fieri ad aliquem verbum Dei. Secundo, quia verbum Dei
non facit Deos, si tantum prædicetur, sed si recipiatur, & cre-
datur; at hoc inuisibile est, ut pater.

Q U I N T U S locus est similis secundo, unde idem Brentius
dicit Ecclesiam esse mundam coram Deo, id est, non coram
hominibus; & non aduertit ex hac nota sequi, illam fieri Dei
manifestam non nobis.

S E X T U S locus nihil probat; nam effectus Euangelij
inuisibilis.

Sed instat C A L V I N U S. Verbum Dei est ferax, & vbi con-
que prædicatur, fructificat; ergo vbi cumq; prædicatur, ibi est
aliqua Ecclesia.

R E S P O N

RESPONDEO. Si quid probat hæc ratio, tantum probat, ubi prædicatur, ibi esse aliquos bonos; sed nos illos non nouimus. Sed neque hoc probat, nam verbum Dei semper fru-
ctificat, cùm legitimè prædicatur, id est, à prædicatoribus missis ab ordinaria potestate; alioqui videmus prædicari in-
ter hæreticos variarum sectarum, ubi non fructificat nisi lo-
lium. Ad locum Chrysostomi iam saxe respondimus. Ad lo-
ca Augustini respondeo, ex Scriptura probari, ubi sit Eccle-
sia, non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia Scriptura docet,
quæ sint notæ, dum docet, qualis illa sit, ubi cœperit, quo-
modo creuerit.

DICES, saltem Scriptura est notior, quam Ecclesia, quan-
doquidem inde probatur Ecclesia.

RESPONDEO. Simpliciter Ecclesiam esse priorem, &
notiore, quam sit Scriptura; nam Ecclesia fuit ante Scriptu-
ram, & ipsi data est Scriptura à Deo, & ipsa eam aliis tradit,
& explicat: tamen aliquando ex hypothesi Scripturam esse
notiorem, quando videlicet Scriptura est recepta, & clarè
loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia: sicut interdum
ē contrario Ecclesia est recepta, & nota, & quæstio oritur de
Scriptura. & sic vnum probatur ex altero. verbi gratia, quan-
do disputabatur de Baptismo hæreticorum, quia Scriptura
obscure loquitur, & Ecclesia nota erat, Augustinus proba-
bat secundum Scripturas ratum esse Baptismum hæretico-
rum, quia Ecclesia illum habet pro rato. Contrà, cùm dispu-
tabatur de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia Scripturæ
receptæ & claræ erant, inde Augustinus probabat; & idem
nos faciemus, cùm deducemus notas Ecclesiæ ex Scriptu-
ris, sed non propterea Scriptura est simpliciter notior, quam
Ecclesia.

SECUNDA nota iisdem argumentis refutatur; nam P. R. I.
M o eam sibi omnes vendicant, nam præter Catholicos, Cal-
vinistæ ideo separati sunt à Lutheranis ceteris, quod utrique
putant, se solos habere verum Sacramentum Eucharistiæ.
Anabaptistæ autem separati sunt ab utrisque, quia se solos
putant habere verum usum Baptismi. Præterea Pelagiani ha-
beant omnia Sacra menta, & similiter omnes schismatici,
SECUNDO, legitimus usus Sacramentorum minus notus est,
quam sit Ecclesia. Nam ille est legitimus Sacramentorum
usus,

vus, qui est conformis Scripturæ, ut ipsi docent: Scripturæ autem pendent ab Ecclesia, non contraria, ut sæpè diximus. **TERTIO**, Ecclesia Corinthiorum erat vera Ecclesia, & item in Cor. II. reprehenduntur Corinthij, quod non syncerè tractarent præcipuum Sactamentorum, & similiter Ecclesiæ Africanæ, quæ erant sub Cypriano, & sub illis 86 Episcopis, quorum sententias ipse refert in epistola ad Quirinum, veræ Ecclesiæ erant, ut B. Augustinus lib. 6. ca. 7. de Baptismo, & B. Hieronymus contra Luciferianos docent; & tamen non syncerè tractabant Sacramentum Baptismi, ut idem Hieronymus & Augustinus ibidem docent.

TERTIA nota refutanda, est oratio & psalmodia, quæ est sexta Lutherana. refellitur autem; quia si loquatur de invocatione, quæ ex corde procedit, inuisibilis nota est, ex externa tantum invocatione & psalmodia, est nota communissima: nam hoc tempore omnes sectæ, etiam Anabaptistarum, dicunt orationem Dominicam, & canunt Psalms lingua vulgari, & idem olim faciebant Ariani, ut refert Socrates lib. 6. ca. 8. & Ambrosius de tradendis basilicis. immò hoc tempore nota veræ Ecclesiæ ferè dici potest, canere Psalms lingua Latina, quia hoc relictum videtur fermè soli antiquæ & Catholicæ Ecclesiæ, quæ non mutatur quotidie, ut sectæ hæreticorum.

QUARTA nota refellenda, est septima Lutherana, nimis interna mœstitia, & pusillanimitas, externæ persequitiones, & vocari hæretici; ac de internis falsissima nota est; nam obscuræ sunt, si internæ sunt. Item pusillanimitas est vitium, & Paulus ubique hortatur ad internam lætitiam, & dicit regnum Dei esse gaudium in Spiritu sancto. Vide Rom. 14. Coloss. 3. Philip. 4. Ephes. 5. De externis non est nota perpetua, nam Ecclesia in principio & in fine passa est magnis angustiis: at in medio florentissima fuit. & omnia prædicta sunt. Vide Augustinum epist. 50.

QVINTA nota est Centuriatorum, quod ea sit vera Ecclesia, in qua inueniuntur qui perseverant in confessione fidei usque ad mortem. Quæ refelletur **PRIMO**, quia non magis nota est confessio veræ fidei, quam vera Scripturæ predicatione, & legimus Sactamentorum usus.

SECUNDO, quia ex hac nota colligeretur, veram Ecclesiam

Siam non posse esse vlo modo apud Lutheranos. Ipsi enim dicunt, per multa secula ante Lutheri aduentū cessasse confessionem veræ fidei, & Ecclesiam conseruatam in latebris, & fuisse prorsus inuisibilem, ergo Ecclesia Lutheranorum est noua, & proinde falsa.

TERTIO, quia hanc notam videimus in omnibus sectis, & in nulla minus, quam in cœtu Lutheranorum; nam in primis Ecclesia nostra habet innumerabiles martyres, qui perseverarunt constantissimè in confessione fidei; deinde Montanistæ valde gloriabantur de suis martyribus, ut patet tum ex Eusebio lib. 5. histor. cap. 18. tum ex Tertulliano in libro de fuga in persecutione, quem scripsit, cum Montanista esset, contra Catholicos, obiiciens eis quod malè facerent fugiendo.

Item MESSALIANI apud Epiphanius hæres. 80. ideo disti sunt etiam Martyriani, quia gloriabantur valde de numero martyrum suorum. Idem de Donatistis constat. S. AVGUSTINVS epist. 68. Vnde bant, inquit, *Et latrones, honorebantur Et martyres.* De Anabaptistis, qui erant tempore B. BERNARDI, scribit ipse serm. 66. in Cantica: Mirabatur, inquit, aliqui quod non modo patienter, sed etiam latecerentur ad mortem. De ADAMITIS scribit Æneas Sylvius libro de histor. Boëmorum, cap. 41. viros cum fœminis coniugibus suis lætos, atque canentes properare solitos ad ignem. Hoc verò tempore nostro nemo ignorat in hac obstinatione moriendi pro perfidia, primum locum tenere Anabaptistas, secundum Caluinistas, extremum ac penè nullum meros Lutheranos, qui tamen hanc notam veræ Ecclesie soli proponunt.

CAPVT III.

Proponuntur veræ notæ Ecclesiæ.

His igitur notis breuiter refutatis, restat ut veras notas proponamus. Est autem initio obseruandum, Ecclesiam Catholicam esse quasi solem quendam, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, ut facilissimè per eos cognosci possit. Habet enim